



uerba in libro Mischnico, qui dicitur *Ioma*:<sup>g)</sup> אין נשאלין כאורים ותוסים להדיות אלא למלך ולכות דין ולמי שהצבור צריך בו. *Non quaerunt de quouis homine plebeio, sed tantum de rege, Synedrio M. et illo, quo opus habet ecclesia.* Quis sit ille, quo opus habet ecclesia, cognosces e uerbis GEMARAE: אמר רבי אבהו דאמר קרא ולפני אלעזר הכהן יעמר ושאל לו במשפט האורים וכו' הוא זה מלך וכל ישראל אתו זה משוח מלחמה וכל העדה זו סנהדרין. Dicit R. Abhu, quod dicit S. S. *Num. XXVII, 21.* et coram Eleasare Pontifice stabit, et quaeret ex eo per modum *Vrim ac Thummim etc.* qui dicitur: hic, est Rex, quae sequuntur uerba: et omnis Israel cum eo, significant unctum belli, et uerba postrema: et omnis congregatio, indicant Synedrium M. Id quod a MAIMONIDE atque BARTENORA in utriusque commentario in hunc locum confirmatur. Munus Sacerdotis ad bellum uncti duabus potissimum partibus absoluebatur, altera, ut facris in bello obeundis praeeset, altera uero, ut partim sub initio belli omnes ex uniuerso exercitu euocaret, qui legibus diuinis ab aerumnis belli erant immunes, et de iustitia belli suscepti populum conuinceret, partim uero, ut utriusque exercitus acie iam instructa animum bellantibus excitaret, rationibus tum ex praesentia Numinis, quam e iustitia causae, quam denique ex uariis exemplis atrocissimorum hostium misere pereuntium petitis. Omnia oratione hebraea persequabatur, quam ille primo loco alta pronuntiabat uoce, et reliqui sacerdotes, imperio Fecialis uncti illius subiecti, per singulas cohortes intensa uoce repetebant. Copiose id exposuit, et uerba totius orationis literis consignauit auctor Sotae in Mischna tam Hierosolymitana, quam Babylonica. MAIMONIDES uero omnia plenius, et maiori, ut solet, elegantia ritus illius historiam pertractauit, in libro de regibus et bellis,<sup>h)</sup> quae latine expressit MELCHIOR LEYDEKKER in *Repubblica Hebraeorum.* i)

g) *Cap. VII. §. 5.*

h) *Cap. VII. §. 2. f. 761. b.*